



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Serenissimo Potentissimoque Principi ac Domino nostro, Jacobo, Dei Gratia  
Magnæ Britanni[a]e, Franci[a]e & Hiberni[a]e Regi, Fidei Defensori, [et]c.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

*Serenissimo Potentissimoque*

Principi ac Domino  
nostro,

**J A C O B O,**  
DEI GRATIA

Magnæ Britannię, Francię & Hibernię

Regi, Fidei Defensori, &c.

*Serenissime Potentissimeq; Rex,*

**P**Oterit fortasse Majestas Tua me furti incusare, quod tantum Temporis, quantum ad hæc sufficiat, Negotiis tuis suffuratus sum. Non habeo quod dicam. Temporis enim non fit Restitutio: nisi forte quod detractum fuerit Temporis Rebus tuis, id Memoria nominis tui, & Honori Seculi tui reponi possit; si modo hæc alicujus sint pretii. Sunt certe prorsus nova; etiam toto genere: sed descripta ex veteri admodum exemplari, Mundo scilicet ipso, & Natura Rerum & Mentis. Ipse certe (ut ingenue fatear) soleo æstimare hoc Opus magis pro parte Temporis, quam ingenii. Illud enim in eo solummodo mirabile est; Initia Rei, & tantas de iis quæ invaluerunt Suspiciones, alicui in mentem venire potuisse. Cætera non illibenter sequuntur. At versatur proculdubio Casus (ut loquimur) & quiddam quasi Fortuitum, non minus in iis, quæ cogitant Homines, quam in iis quæ agunt aut loquuntur. Verum hunc Casum (de quo loquor) ita intelligi volo, ut si quid in his, quæ afferro, sit boni, id immensæ misericordiæ & Bonitati divinæ, & Felicitati Temporum tuorum tribuatur: Cui & vivus integerrimo affectu servivi, & mortuus fortasse id effecero, ut illa Posteritati, nova hac accensa face in Philosophiæ tenebris, præluce possint. Merito autem Temporibus Regis omnium sapientissimi & doctissimi Regeneratio ista & Instauratio Scientiarum debetur. Superest Petitio, Majestate tua non indigna, & maxime omnium faciens ad id quod agitur. Ea est, ut quando Salomonem in plurimis referas, Judiciorum gravitate, Regno pacifico, Cordis latitudine, Librorum denique, quos composuisti, nobili varietate: etiam hoc ad eisdem Regis exemplum addas, ut cures Historiam Naturalem & Experimentalem, veram & severam, (missis Philologicis) & quæ sit in Ordine ad condendam Philosophiam, denique qualem suo loco describemus, congeri & perfici: Ut tandem post tot Mundi ætates Philosophia & Scientiæ non sint amplius pensiles & æcæ, sed solidis Experienciæ omnigenæ eisdemq; bene pensitate nitantur fundamentis. Equidem Organum præbui; verum Materies & Rebus ipsis petenda est, Deus Opt. Max. Majestatem Tuam diu servet incolumem.

*Serenissimæ Majestati Tue*

*Servus Devotissimus & Devotissimus*

FRANCISCUS VERULAM,  
CANCELLARIUS.

FRANCISCI

De

VERULAMIO

INSTAURATIO MAGNA.

P R Æ F A T I O.

*De statu Scientiarum, quod non sit felix, aut majorem in modum auctus; quodque alia omnino, quam prioribus cognita fuerit, via aperienda sit Intellectui humano, & alia comparanda auxilia; ut mens suo jure in rerum Naturam usi possit.*

**V**identur nobis homines, nec opes nec vires suas bene nosse, verum de illis majora quam par est, de his minora credere. Ita fit, ut aut artes receptas in sanis precii æstimantes, nil amplius querant; aut seipfos plus æquo contententes, vires suas in levioribus consumant, in iis, quæ ad summam rei faciant, non experiantur. Quare sunt & suæ Scientiis Columnæ, tanquam fatales; cum ad ulterius penetrant.